

falsam decima nona, Digest. ad leg. Cornel. de fals. ut pleribus probat Farnacius dicta questione centesima decima quinta, numero nonagesimo quarto. Quibus ad stipulantur ea quæ superius diximus, de affectu, non secuto effectu, in atrocissimis, ut puniatur eadem poena. Controversia decima tertia, numero decimo, cum sequent. & controversia trigesima secunda, numero vigesimo tertia.

33 Ex his omnibus isti rei condemnati fuere ad poenam ignis sententia diei secunda Junii anno millesimo sexcentesimo sexagesimo, actuante Francisco Medrano. Sic pariter postea decimum fuit in causa cujusdam incolæ oppidi del Real, qui monetam auream ex ære conflaverat cui apprehensi fuere novem solidi jam perfecti, materia, & cunei signatorii: & probatum fuit expendisse unum solidum, quare fuit ad flammam condemnatus sententia diei quarta Decembris millesimo sexcentesimo sexagesimo tertio.



CONTROVERSIA XLV.

De falsificante cuneos signatorios Regis.

SUMMARIUM.

- 1 Facti species proponitur.
- 2 Sigillum adulterinum faciens poena legis Cornelie tenetur.
- 3 Poena falsi, extraordinaria est, de jure civili, & Hispano.
- 4 Auxilium remotum non est dignum eadem poena.
- 5 Sigillum Regis falso conficiens non punitur poena ignis.
- 6 Imago Principis imponitur in numismate.
- 7 Majestas Principis leditur atrociter, ex contemptu imaginis.
- 8 Falsam monetam cudens ratione forme mitius puniendus est, & numero 51

- 9 Conficiens falsos cuneos poena flammarum plebitur.
- 10 Falsæ moneta crimen jure Digestorum sub leg. Cornel. continebatur.
- 11 Jure Codicis factum fuit crimen specie diversum.
- 12 Leges Hispanæ poenam imponentes falsatoribus Regii sigilli, de quibus tractent.
- 13 Falsi crimen in litteris Regis graviorissimum.
- 14 Falsi moneta crimen graviorius.
- 15 Quia damnnum transcendente producit.
- 16 Poena ignis debetur auxiliatoribus falsa moneta.
- 17 Falsitas cuneorum influit in tota delicti substantia.
- 18 Signum in moneta excusum ejus valorem decernit.
- 19 Stemmatum differentia in sigillis, ad signandas tabulas, vel monetas, & inter ipsas monetas.
- 20 Signa quibus moneta percutitur, non deseruiunt ad alios usus.
- 21 Arma commodans homicide excusari potest, quia deseruiunt ad alios usus.
- 22 Cunei signatorii ad instantiam privati excusi, non possunt deseruire ad alium finem, nisi ad monetam falsam percutendam.
- 23 Sigilla quibus tabule obsignantur, non sunt de substantia rescripti, vel privilegii.
- 24 Sola subscriptio concedentis, auctoritatem Scripture impartitur.
- 25 Sigillorum usus in tabulis, requisitum est noveriter excogitatum tempore Neronis, aduersus falsarios.

26 Sigil

- 26 Sigillorum usus inter Principes antiquissimus.
- 27 Sigillorum usus ex Sacra Pagina antiquissimus comprobatur.
- 28 Stigmata Augusti, Galba & aliorum Principum.
- 29 Sigillo Principis creditur, magis de consuetudine quam de jure.
- 30 Solemnitates pures requiruntur in jussionibus sigillo nummis.
- 31 Quod etiam procedit de jure Hispano.
- 32 Annulorum signatoriorum usus inter Romanos privatim.
- 33 Annulis signabantur res minutissima.
- 34 Textus in leg. cum pater, septuagesima septima, Paragraph. pater pluribus, vigesimo primo, Digest. de legat. 2. expenditur.
- 35 Signum in nummis, est de substantia forma.
- 36 Et publicam auctoritatem præbet.
- 37 Nummos publico sigmate signatos respicere, crimen punibile est.
- 38 Publica forma nummis necessaria est, ut certam, & permanentem estimationem obtineant.
- 39 Pecunie usus antiquissimus.
- 40 Pecunia argentea publicè percussa tempore Abrahæ, in usu erat.
- 41 Pecunie substantialis forma pendet ex signatura.
- 42 Imagines Imperatorum aliquando percutiebantur in nummis.
- 43 Aliquando rerum præclarè gestarum symbola.
- 44 Sed semper inscriptio nominis signabatur.
- 45 Christus Dominus quando inspiciebat nummum Cesaris, non solum contemplatus fuit imaginem, sed inscriptionem.
- 46 Stigmata, & inscriptiones representant personam Principis, sicut imagines.
- 47 Legum nostrarum exempla.
- 48 Injuria fit, etiam inter privatos, ex usurpatione alienorum signaturæ.
- 49 Cuneos signatorios absque Principis auctoritate conficiens, totum crimen adulterina moneta, ratione forme perficit causativè.
- 50 Lege Hispana punitur poena flammarum, tam qui adulterat nummos ratione forme, quam ratione materie.
- 51 Benedicti Carpovii doctrina quoad mitigationem poene in adulterante pecuniam, ratione forme, procedit quando qui proprio nomine cudis.
- 52 Decisio Aule.

IN specie controversiæ præcedentis diximus falsarios principales pretio corrupisse artificem sigillorum, ut conficeret cuneos signatorios, nummorum argenti unciariorum & semiunciariorum, ut effectivè conficeret aliquos, cum quibus nummi percutiebantur. Et cum ex actis resulasset quod iste reus in cuneis expresserat stigmata, & inscriptiones Regias, quæ diversæ sunt, ab eis, quæ in sigillis Regiæ, ad rescripta privilegia, Epistolæ, & jussiones obsignandas conficiuntur, dubitabatur, quæ poena veniret plectendus.

Dicebatur ad rei defensionem, quod de jure civili Romanorum tantum teneri poterat poena legis Cornelie de falsis, ut probat Textus in leg. lege Cornelia, trigesima, Digest. eod. titulo, ibi: lege Cornelia testamentaria obliga

obligatur, qui signum adulterium fecerit, sculpsit.

- 3 Quæ quidem pœna erat deportationis cum bonorum publicatione, Textus in leg. prima, Paragraph. fin. Digest. eodem, & hodie arbitraria, tam de jure communi, quam Hispano & dixi *Controversia trigesima septima*, numero decimo, & *controversia trigesima octava*, numero trigesimo primo. Quamobrem extra ordinem plebendum erat: nam ille solum stigmata in cunctis exculperat, absque eo quod in fundenda massa, vel ad percuciendo nummos cooperasset; & sic ut plurimum auxilium remotum præstasse dici poterat; ob quod non erat ejusdem pœnæ dignus, ut pluribus probat Farinacius, *questione centesima trigesima*, numero quadragesimo septimo, & *questione centesima trigesima prima*, numero quadragesimo.
- 4 Et quanquam dicebatur quod sigilla Regis adulteraverat, nostris legibus hoc crimen non puniatur sævissima pœna concremationis, sed alia mitiori, nempe mortis legalis, furcæ scilicet, vel gladii, ut probant Textus in leg. sexta, titulo duodecimo, libro quarto, fori leg. lege sexta, titulo septimo, partita septima, lege tertia, titulo sexto, & lege vigesima prima, titulo decimo nono, libro octavo, Ordinat. & leg. tertia, titulo decimo septimo, libro octavo, recopil. Quibus cautum habemus, quod falsum committentes in Regiis sigillis, ultimo supplicio condemnentur, absque adjectione flammatarum, & sic docent Dominus Gregorius Lopez, Montalvus, Didacus Perez, & Azevedo in his iuribus. Dominus Covarruvias *practic. capite vigesimo secundo*, numero nono: *Vela de delictis. parte prima, capite decimo*, numero decimo, & Pichardus in *manuduct. parte tertia*, §. quarto, numero trigesimo septimo. Et cum reus iste minor adhuc esset, subveniens dum ratione ætatis, ita ut mitius plebeteretur, Advocatus nervosè asseribat; per ea quæ diximus supra *controversia octava*, numero vigesimo primo, cum sequentibus.
- 6 Quibus addi poterat, quod ratio acerbitatis pœnæ flammatarum in reis falsæ monetæ, ea est quod in num-

mis inculpi solet imago Principis, cujus majestas læditur atrociter, dum facti vultus contemnantur, ac per consequens graviore pœna digni rei efficiuntur, dum despiciunt ea quæ venerari debent. Sic deducitur ex Textu in leg. tertia, Codice de veter. numism. potest. ibi: *capitalis scilicet supplicio puniendo, qui vel jussu nostra majestatis avaritiæ cecitate contempserit, vel æternales vultus, dum fraudibus studeat, duxerit violare.* Hac de causa pœna ignis inducta fuit contra flatores solidorum ex leg. secunda, Codice de fals. monet. & leg. primio §. Codice Theodosian. eodem titulo, ut dixi *controversia precedent. numero quarto*, & quinto; quia in solidis apponebantur imagines Principum, ut notat Jacobus Gothofredus in dict. lege quinta, idem probatur in leg. unica, Codice Theodosian. si quis solid. circul. ex ter. ibi: *in quibus nostri vultus ac veneratio una est: & pariter in leg. prima eod. Codice Theod. de ponderator. ibi: nostris vultibus figuratis.* Quod dixerat Paulus libro quinto, *sentent. titulo vigesimo quinto*, in principio, ibi: *vultus Principum signatam monetam præter adulterinam reproboverit.* Sic tenent Divus Thomas libro secundo de regim. Princip. capite decimo tertio, Jacobus Cujacius in dict. titulo vigesimo quinto, libro quinto *sentent.* & latius libro decimo nono, *observat. capite vigesimo quinto*, Tiberius Decianus libro septimo, capite vigesimo secundo, numero decimo octavo, Dionysius Gothofredus in leg. prima, Codice de veter. numism. potest. & Jacobus ejus filius in dicta lege unica ad fin. Cum autem in cunctis, de quibus agimus, non expresserit Principis imaginem, deficiebat ratio enormitatis, ac per consequens etiam ratio gravissimæ pœnæ.

Uterius, quia ipse licet peccasset ex consequentia in adulteratione illius monete ratione formæ, non tamen peccavit ratione materiæ, quia profus ignoravit ex qua materia percucienda esset, neque interfuit in ea cudenta: sed crimen ratione formæ in falsa moneta mitius puniri debet, utputa pœna flagellorum, & exillii, vel simili, ut latè probat Benedictus Carpozovius in *practic.*

tit. criminal. questione quadragesima tertia, numero vigesimo septimo, cum sequentibus. Igitur levisimè plebendum erat, quia ex hac pœna, aliquid erat ei condonandum ratione minoris ætatis.

- 9 Nihilominus pœna acerbillima ignis teneri suadebant plura jura, & rationes urgentissimæ. Nam licet falsæ monete crimen comprehenderetur antiquius sub generali dispositione legis Corneliæ de falso, ut probat Text. in leg. quicumque, cum sequentibus, Digest. eod. titulo. Tamen postea Imperatorum diversis constitutionibus fuit factum crimen speciale, distinctum à cæteris falsitibus, ratione gravitatis, quam secum adfert, & damni enormissimi, resultantis universæ Reipublicæ; & colligitur ex titulis ad legem Corneliæ & de falsa moneta tam in Codice Justiniani quam Theodosii: quia sicut assassinium sub generalitate homicidii comprehenditur, & tamen gravitate, & pœnarum sævitiæ ab eo distinguitur; sic similiter, licet crimen falsæ monete sub generalitate falsi, comprehendatur, ob enormitatem speciei distinguitur à cæteris falsitibus, & specialibus privilegiis, regulisque diversis judicandum est, ut passim notant Doctores in leg. prima, Codice de fals. monet. quæ plures specialitates continet. Quo supposito, notandum est, quod leges Regni allegatæ supra numero quarto, pœnam imponentes falsificanti sigilla Regis, non disponunt quoad falsificantes cunctos signatorios monete; sed tantum tractant de sigillis, quibus obsignantur rescripta, privilegia, epistole, & cæteræ jussiones nostrorum Regum; ut ex ipsorum jurium verbis, & contextura apparet. Et licet negari non possit, quod est gravissimum crimen, quolibet falsitas in scripturis Regiis, sive nomine Regio expeditis; ita ut in famulo à secretis, vel Notario Regio, puniatur pœna mortis & confiscationis bonorum; Textus in lege octava, titulo nono, part. secunda, & in privato pœna mortis, ut habetur in dict. leg. sexta, titulo septimo, part. septima. Quæ jura optimè interpretatur Dominus Gregorius Lopez in dict. leg. octava, glossa octava, tradens rationem diff-
- 14 rentiæ; ob quam primo publicanda bona sint, secundo verò non. Tamen multò gravius est crimen falsæ monete, ut impositio pœnæ ignis demonstrat in leg. nona, dict. titulo septimo, part. septima. Quod procedit ratione per judicium transcendentis, quod inferret universæ Reipublicæ; cujus commercia turbantur, substantia eripitur, & pretia cunctarum rerum confunduntur; non semel, aut bis; sed successivè; dum falsitas nummorum non detegitur; & postquam detecta est; quia moneta legitima suspicione laborat; ita ut jactura per omnes artus mistici corporis diffundatur, & omnes subditos insiciat incredibili contagio, ex quo plura mala procedunt: quorum plura demonstrant Herman. Kirchnerus de republ. disputat. vigesima, additam. primo; Petrus Gregorius de republ. libro nono, capite primo, numero trigesimo primo; Dominus Larrea decisio. duodecima; numero quadragesimo octavo cum sequentibus, & Dominus Solorganus Emblem. Regiopol. octogesima prima, numero vigesimo secundo. Cujus criminis pœna, non solum comprehendit ipsos flatores falsæ monete; verum omnes consilium, 16 auxilium, & opem præstantes in ipso crimine, ut docet Imperator in dict. leg. prima, Codice de fals. monet. & nosster Alphonsus in dict. leg. nona, ibi: *esta mesma pena mandamos que ayamos a los que falsassen la moneda; quando la fizesen.* Quam conclusionem de jure firmant Julius Clarus in Paragraph. final. questione octogesima septima, numero quarto; Tiberius Decianus dicto libro septimo, capite vigesimo quinto, numero secundo; Farinacius dicta questione centesima decima quinta, numero trigesimo, & dicta questione centesima trigesima, numero primo, Giurba consil. octogesimo quinto, numero primo; Antonius Faber in Codice, libro nono, titulo decimo quinto, definitione tertia, numero tertio; Carpozovius in practica criminali, parte prima, questione quadragesima secunda, numero decimo tertio; & sic communiter Doctores. Præcipuè, quando auxilium proximum est delicto; vel est causa ipsius

sius, ut distinguit Farinacius *ibidem* numero quadragesimo septimo, qui antiquiores refert, & cum recentiores sequuntur. Iste enim reus non solum auxilium proximum delicto præstitit, verum in ipso actu delinquendi cooperavit causativè, quia sine cunctis ab ipso excusis, non poterant numismata percuti. Et sic factus fuit causa delicti, cuneos excudendo, & ejus nequitia influens in toto crimine, formam præbendo, quæ consistit in signo in nummis excuso, ut probat Carpozovius *quæstione quadragesima tertia, numero tertio, & vigesimo quinto cum sequentibus*. Nam eorum æstimatio legalis pender ex publica auctoritate, quæ mediante sigillo excuso pretia nummorum decernit, & valorem à lege statutum demonstrat, ut probat Textus in *leg. prima, Digesti de contrion. empti. ubi communiter Doctores, & de jure nostro Textus in lege prima, cum duobus sequentibus, titulo vigesimo primo, libro quinto, recapit. & in lege decima tertia, & decima quarta, in declarationibus ejusdem tituli, ut latissimè & pluribus adductis, tradit Dominus Latrea dicta decisione duodecima, numero nono, cum sequentibus, quem sequitur, aliis etiam adductis, Don Franciscus Amaia in lege unica, Codice de collation. aris, libro decimo, numero duodecimo. Et cum in his Regnis distincta sint sigilla, & eorum stigmata, quæ excuduntur in obsignatione rescriptorum, epistolarum, atque iussionum, ab illis quibus cudi numismata solent, imò & in ipsis nummis diversissima stigmata percutiuntur, quia diversum est sigillum auroreorum à sigillo argenteorum, vel obolorum aris, ut deprehenditur ex dicta lege prima cum duobus sequentibus, & ex dicta lege decima tertia & decima quarta, ut oculis ab omnibus inspicitur; sequitur quod sigillum ad unum usum destinatum, ad alium deservire non possit, juxta Textum in capite significasti de appellationibus, ut notat Theodorus Hoppingius de jure sigillorum, capite nono, numero decimo septimo, ita ut unumquodque sigillum ab omnibus notum*

sit; maximè ab eo qui in hujusmodi artificio versatur. Et dum iste reus in cunctis excussit stigmata destrictinata ad nummos argenteos unciarios, & semiunciarios; falso auctoritatem publicam præbuit, monetæ adulterinæ, non solum in quantum ab omnibus reputari poterat legitima, sed ut æstimaretur argentum, quod dimidia parte ære constabat. Quæ non poterat ignorare, cum ea sigilla non possent deservire ad alium usum, vel finem, nisi ad excudendos hujusmodi nummos: quare concurrebant omnia requisita *nostra legis nonæ*, ut eadem pœna teneretur, cum principalibus criminis reis. Commodans arma homicidæ potest aliquoties excusari à pœna, quia possunt deservire ad alium usum præter homicidium, nempe ad ornatum, ad bellum, vel ad propriam defensionem, ut latè probat Farinacius *dicta quæstione centesima trigesima, numero sexto*. At verò qui pretio corruptus cuneos signatorios excudit, quibus cuditur moneta argentea, & ad alios usus non possunt applicari; scienter, dolosè, & data opera consensum præbet ad delictum: & auxilium perniciosum præstat, in ipsa adulteratione monetæ, quæ sine ipso fieri non poterat, & causa est totius mali, quia dat formam, in qua virtus monetæ consistit.

Quod confirmatur, ex ratione differentiarum quæ versatur inter sigilla, quibus privilegia, iussiones, & tabulæ obsignantur; & sigilla, quibus moneta percutitur. Quia obsignatio rescriptorum non est de substantia rescriptorum, ut latè probat Hoppingius de jure sigillorum capite undecimo, numero primo, cum sequentibus, quod colligit ex lege Gaius Senius, Digesti de pignoratitia actione. Sed clarè probatur de jure nostro per Textum in lege vigesima nona, titulo quarto, libro secundo recopilationis, in quodum solemnitates iussionum describuntur, hæc verba habentur: *obedescan, y cumplian las cartas que fueren libradas por los del dicho consejo segun lo en ellas contenido, bien asi, y tan cumplidamente, como si fuesen firmadas*

das de nuestros nombres. Et sic de solâ subscriptione meminit, quia illa probat consensum, & Auctoritatem scribentis. Antonius de Butrio in capite secundo, de fide instrument. vers. an ipsi exigatur. Bartolus in lege cum tabernam, §. idemque sunt, Digesti de pignor. Antonius Gabriel. in commun. titulo de presumptionibus, conclusione tertia, numero duodecimo, Rota Romana decisione trecentesima prima, numero tertio, parte prima, recent. & decisione quingentesima octogesima quinta, numero secundo, eadem parte prima, & decisione sexcentesima quinta, numero quinto, parte secunda. Augustinus Barbola in dicto capite secundo, de fide instrument. numero final. Imò obsignatio, sive appositio sigilli, absque subscriptione jubentis, nihil operatur. Textus in lege secunda, & de rebus alienis, non alienandis, ibi: licet sigillo tuo venditionis instrumentum fraude conquesta signaveris. Idem probat Textus in lege, si ita stipulatus centesima vigesima sexta, §. Chrysogonus, Digesti de verborum obligatione, Bartolus in leg. falsus, in fine, Codice de furtis, Jalon in lege si ita stipulatus §. Chrysogonus, numero vigesimo tertio, Antonius Faber in Codice libro quarto, titulo decimo quarto, definitione undecima, numero quarto, & quinto, Guido Papa decisione centesima septuagesima octava, numero primo, & decisione quadragesima octogesima prima, in principio. Martia part. prima, Digesti noviss. titulo de probatione, capite vigesimo secundo, Dionysius Gothofredus in dicta lege secunda, Hoppingius de jure sigill. capite decimo quinto, numero centesimo trigesimo, & capite decimo sexto, numero sexagesimo octavo. Nam obsignatio tabularum, est requisitum excogitarum senatusconsulto, adversus falsarios, tempore Neronis, ut docet Paulus libro quinto sententiarum, dicto titulo, vigesimo quinto, & tradunt Suetonius in Nerone, capite vigesimo septimo, Seneca de beneficiis, libro tertio, capite decimo quinto, Biliſonius de formulis, libro sexto, §. ceterum; & de tabulis, Jacobus Cujacius in dicto libro quinto, Pauli, titulo vigesimo quinto, Hoppingius de jure sigillorum, capite primo, §. secundo, numero de-

gius capite decimo, numero vigesimo secundo. Et licet hæc ad privatorum obsignationem referantur, nam Principes ab antiquissimo tempore sigillandi usum habuerunt, ut ut referunt Alexander ab Alexandro libro secundo dier. Genial. capite decimo nono, & Tiraquellus in addit. Sed Plinius libro trigesimo tertio historia naturalis, capite primo, Polydorus Virgilius libro secundo de inven. rerum, capite vigesimo primo, & Gortæus libro Dactyloib. pagina prima, Prometheus primum ponunt, ut refert Hoppingius libro de jure sigillor. capite secundo, numero octavo, licet ipse fateatur, antiquiorem originem, comprobata ex facta pagina Genesis capite trigesimo octavo, vers. decimo octavo, & capite quadragesimo primo, vers. quadragesimo secundo. Exod. capite trigesimo tertio, vers. vigesimo secundo, Ester capite tertio, vers. decimo tertio, ibi: & littere signate ipsius annulo. & capite octavo, vers. octavo, Danielis capite sexto, vers. decimo septimo, & libro primo Machabæorum capite sexto, vers. decimo quarto, ut hæc & alia notant Petrus Gregorius libro quadragesimo septimo syntagmat. capite vigesimo nono, numero decimo tertio, Gaupard. Anton. Thesaurus libro secundo questionum forensium, quæstione centesima, numero secundo, Herman. Kircker libro quarto de officio Cancellar. capite secundo, numero vigesimo secundo, Kirckner. de annal. aur. numero quadragesimo primo, & sequentibus, Hoppingius dict. capite secundo, numero primo, cum sequentibus. Imo in urbe Romana multis temporibus ante Neronem sigillorum usus prævaluit: quod deducitur ex eo, quod in ipsa vicus erat sigillaria dictus, in quo sigilla exquisite artis ex ære argenteoque fabricari solebant, Alexander ab Alexandro libro tertio dierum genialium, capite quinto, ubi Tiraquellus, Polydorus libro quinto, de invent. rerum, capite primo, Vuolfang. Lazius libro septimo, commun. republic. Roman. capite tertio ad finem, Thesaurus dicta quæstione centesima, numero sexto, Hoppingius dict. tractat. de jure sigillor. capite primo, §. secundo, numero de-

cimo. Et sic passim reperitur mentio
stigmatum Alexandri Magni, Cæsa-
ris, Pompeii, Augusti, Galbæ,
& aliorum Principum, apud Dio-
nem libro quinquagesimo primo historia,
Plinium dicto libro trigésimo tertio, ca-
pitem primo, Rhodiginum libro sexto an-
tiquar. lection. capite duodecimo in
fin. Ulysses Aldrovandum libro pri-
mo, de insect. capite tertio, de cera,
S. usus ad sigillandum, pagina cente-
sima septuagesima tertia. Sed omnia
colligens Hoppingius capite quinto, ex
numero primo, per plures sequentes.
Verum non inde substantia concess-
ionis pendet à sigillo, vel signatura,
cum sit signum habentis jurisdictionem,
de consuetudine fidem faciens, ut plu-
ribus probat Hoppingius capite quar-
to, numero decimo octavo, cum sequen-
tibus. Ex quo resultat Primò, quod
non ubique usus sigillandi admittus
sit, ut cum Plinio dict. libro vicesi-
mo tertio, capite primo, Conano li-
bro nono, comment. capite secundo,
Kircher. libro primo, de iure legation.
numero nonagesimo secundo, probat Ho-
pingius dicto capite secundo, numero
centesimo sexto cum aliquibus sequen-
tibus, de Orientis nationibus, Æ-
gyptiis, & aliis, quos hodie Turcæ
sequuntur. Bohem. Aubanus libro se-
cundo de Asia, pagina centesima qua-
dragesima nona, Guillelm. Anton.
de rescript. mor. conclusione quinquage-
sima, numero quarto, littera C, Ho-
pingius dict. capite secundo, numero
centesimo octavo. Secundò quod sigil-
lo publico, vel authentico, etiam
si Principis sit, creditur de consue-
tudine magis quam de iure, Tex-
tus in capite cum dilectus, in fin. de fi-
de instrument. Glossa in capite secun-
do, verb. sigillum, eodem titulo, Mat-
thæus de Afflictis decisione ducentesima
quingagesima tertia, numero tertio &
quarto, Guido Papa decisione cente-
sima septuagesima quinta, numero pri-
mo, Hoppingius capite undecimo, nu-
mero recentissimo decimo septimo. Et
adhuc ut ei credatur, requiruntur
plures solemnitates, utputa sub-
scriptio Cancellarii, Registratoris,
fides Secretarii conscientis, & res-
criptio, quam referendam nuncu-
pamus. Baldus, Mitingerius Meno-

chius, Borellius, Craveta, Ber-
trandus Uvefembecius, Franciscus
Marcus, Monter, Antonius
Faber, Tuschius, & alii apud Ho-
pingium dicto capite undecimo, nu-
mero ducentesimo septuagesimo quinto.
Quod de iure nostro probatur, si
antiquiora ferentur in lege prima
& tertia, lege quadragesima quarta, &
lege centesima decima quarta, titulo
decimo octavo, part. tertia, ubi latè
Dominus Gregorius Lopez & Co-
varravias praticar. capite vigesimo se-
cundo, numero nono, sed plures ex
illis solemnitates antiquatæ sunt,
& hodie solum observantur conten-
tæ in lege decima tertia, & vicesi-
ma nona, titulo quarto, lege prima,
cum sequentibus, titulo decimo quinto,
libro secundo recopilation. per quæ jura
Cancellarii obsequantis subscriptio re-
quiritur, ita ut absque ea simplicis si-
gilli appositio nullius momenti sit.
Quæ observantur in unoquoque Se-
nato, ex his qui habent diversum si-
gillum: nam subscriptio Cancellarii
vel ejus qui vicem gerit, semper præ-
cedit, cum ceteris requisitis æquipol-
lentibus.

Hæc de impositione sigillorum au-
thenticorum notanda reperuntur.
De privatis verò nemini dubium
est, quod ante Neronem annuli si-
gnatorii in usu erant, de quibus Ju-
risconsulti in lege signatorius septuage-
sima quarta, Digest. de verborum sig-
nificat. & in lege argumento vigesimo
quinto, §. ornamenta, decima, Di-
gestis de auro, & argento legat.
Textus aliis difficilis, in lege,
cum pater, septuagesima septima, §.
pater pluribus, vigesima prima, Di-
gest. de legat. tertio, ibi: res quas
sub cura sua habuit, assignare jus-
sit, ubi Dionysius Gothofredus ver-
bum assignare juris translationem
non significare dixi: sed non ex-
plicat ad quid referendum sit. Sed
inspecto, quod annulum pater fi-
liæ tradiderat, si de annulo signa-
torio intelligatur assignare verbum
ad sigillationem referendum est,
quæ custodiæ causâ adhibere à Ro-
manis in usu erat, ut innuit Revardus
libro quinto Varior. capite decimo
sexto, & cum Bartolo, Jafone, Nat-
ta,

ta, Beroio, & aliis explicat clarius
Hoppingius de iure insignium, capite sep-
timo, numero centesimo decimo nono, &
de iure sigillorum capite sexto, numero
vigésimo octavo. Hos annulos non ad
subsignandas tabulas à principio ha-
buerunt Romani, nam hoc privatis
usque ad tempus Neronis non fuit
in usu, ut dixit, sed ad servandas vel
custodiendas res minutissimas, ut tra-
dunt Plinius dict. libro trigésimo tertio,
capite primo, Valcrius Maximus li-
bro septimo, capite nono, Conanus di-
cto libro nono, comment. capite secun-
do, numero tertio, Revardus dicto li-
bro quinto variorum, capite decimo sex-
to, Jacobus Cujacius in dict. lege sig-
natorius 74. Digest. de verborum sig-
nificatione, & Hoppingius dict. capite se-
cundo, numero centesimo quinquagesimo
primo. Sed in obsequandis tabulis non
solum sigilla excludebantur cera, ve-
rùm testes, & ii quorum intererat
subscriberebant, filaque tribus fora-
minibus infixæ ponebantur. Textus
in lege hac consultissima, Codice de testa-
mentis, ubi communiter Doctores: la-
lè Biron. dict. libro sexto, de formul-
lis, §. ceterum, Thesaurus dict. qua-
sione centesima, numero primo, secun-
do, & quinto, Hoppingius dict. capite
decimo, n. vigesimo secundo, & vigesimo
tertio. Hodie apud nos usus sigillo-
rum, vel annulorum inter privatos
semper ad aliud non adhibetur, nisi
ad obsequandas Epistolas, ita ut po-
tius secreti custodiendi causâ, quam
auctoritatis tribuendæ apponatur, de
quo Hoppingius capite septimo, numero
vigésimo secundo, cum sequentibus.

Sed sigillum pecuniarum est tota
forma ipsarum, ut probat Textus in
dict. lege prima, Digest. de contr. emp.
cum aliis adductis supra numero decimo
octavo, cum sequentibus: metalla nam-
que absque sigillo publico, neque
pecunia sunt, neque valorem certum
demonstrant, ita ut ponderis & la-
pidis lydii examini subjiciantur; si
publica forma atque sigillo careant:
& per contrarium, ea semel percuf-
sa, talem auctoritatem obtinent, ut
si à subdito Principis eudentis res-
piciantur, crimen committatur, & pœ-
na imposita sit. Textus in leg. pri-
ma. Codice de veter. numismat. potesta-
D.D. Laur. Matthæus, de Re Crim. Pars I.

te libro undecimo, Paulus libro quinto,
sententiarum, titulo vigésimo quinto, in
principio, ubi Cujacius, Pegueta de-
cisione quadragesima sexta, numero quin-
to, Tiberius Decianus dicto libro sep-
timo, capite vigésimo octavo, numero
octavo, Dominus Valenzuela consil.
trigésimo, numero vigésimo octavo. Et
ratio hujus conclusionis est, quia ori-
go emptionis, quatenus est contra-
ctus à permutatione distinctus, di-
manat ab inventione pretii, quod in
pecunia consistit; & habet æstima-
tionem notam, permanentem, atque
immutabilem, mediante publica for-
ma in ea excusa, ut expressè dicitur
in lege prima, Digest. de contrahen. emp-
tion. ut tradunt Aristoteles libro pri-
mo, politicorum, capite sexto, Divus
Thomas libro secundo, de regimine Prin-
cipum, capite decimo tertio, pluribus
Petrus Marquez in Gubernat. Christ.
libro secundo, capite trigésimo nono,
Dominus Amaya, & Dominus Lar-
rea ubi proximè. Et cum hoc ex ne-
cessitate commercii dimanet, ante-
quam jus, vel usus sigillorum inter
homines invalesceret ad scripturas
obsequandas; jam ad nummos percute-
ndos admittus reperiebatur iure
gentium. Et sic inventionem pecu-
niæ tradunt antequam de sigillis men-
tio fiat. Ejus inventorem Saturnum
constituit Lactant. libro primo, de falsa
religione. Janum Macrobius libro pri-
mo Saturnalium, capite tertio, Hermo-
dicem, Cælius Rhodiginus libro vige-
simo primo, antiquarum lectionum, capite
quadragesimo octavo, Phedonem Stra-
bo libro octavo geograph. Thefseum, Pla-
tarchus in ejus vita. Romulum, Petrus
Gregorius libro trigésimo sexto, synagm.
capite secundo, numero quarto, Servium
Tullum, Dominus Covarravias de nu-
mismat. capite primo, sed veritas à
factis litteris est petenda. Josephus
libro primo, antiquitatum Judaicarum,
capite tertio, scripsit quod Cain pecu-
niæ usum invenit. Avila de potest.
& utilitate moneta, quod Thare pater
Abrahæ; quam sententiam ex Alber-
rico, & Budæo refert Tiberius Decia-
nus libro septimo, tractat. criminal.
capite vigésimo tertio, numero vigésimo
secundo, Sanct. Thomas ipsi Abrahæ
dict. capite decimo tertio, quod certius
dict. Hh 2 est;

est; Nam in libro Genesis, capite vigesimo tertio, vers. nono, de ipso Abrahamo loquendo dicitur: *ut det mihi speluncam quam habet, in extrema parte agri sui pecunia digna tradat eam, & rursus, vers. decimo sexto, ibi: apponit pecuniam quam Ephon postulaverat, audientibus filiis Heth, quadringentos siclos argenti, probata moneta publica.* Quae notaveram in Emblemate Regiopolit. ad lectorem, numero decimo, quod scripsi in traduct. emblematum Domini Solorzano, typis data in principio tomi primi. Sed usus sigillorum introductus fuit cum hac differentia, quod destinata ad scripturas subsignandas nihil operantur absque solemnitatibus praenotatis. Ea vero quibus pecunia cuditur, absque alia solemnitate praebent monetam auctoritatem, & valorem, ita ut aestimatio pendeat totaliter a sigillatione. Et sic qui cuneos falso facit dat publicam formam, & auctoritatem, & auxilium praestat in ipso delicto cooperativè, per tractum successivum, quoties falsarius eam percudit, ob quod eadem poena tenetur. Ex Textu in leg. si pignore quinquagesima quarta, §. qui ferramenta, Digest. de furt. pluribus Farinacius dicta quaestione centesima trigesima, numero primo, tertio, & quadragesimo primo. Et causam praebet delicto quod est idem ac si fecisset, Textus, in leg. nihil interest. 15. Digest. ad leg. Cornelianam de scar. Bartolus in leg. is qui opem, numero quinto, Digest. de furt. pluribus Giurba consil. quadragesimo primo, numero duodecimo, Carpzovius dict. prima parte, capite trigesimo septimo, numero sexagesimo primo.

43 Quibus positis non obstant in contrarium adducta. Nam, ut dixi numero decimo, crimen falsae monetæ de jure Codicis factum fuit crimen specie distinctum à ceteris falsitatibus, speciali poena coercendum, & conficiens cuneos ad excudendam monetam, falsae monetæ criminis reus sit, cum non possint deservire ad alium usum, ut ex dictis patet. Neque ex eo quod imagines nostrorum Regum in nummis non apponantur, poena mitiganda est: quia licet aliquando Imperatores consuevisent suas imagines excudere in nummis, saepius sua stigmata, sive rerum

gestarum symbola ponebant, ut tradunt Brisontius de formul. libro quarto, §. numis. & aliis relatis Hoping. cap. octavo, numero decimo quinto, quae simul cum circumscriptione nominis auctoritatem praestant, ut probat Tibertius 44 Declanus dict. lib. septimo, cap. vigesimo tertio, num. vigesimo primo, & idem Hopingius docet dict. cap. octavo, numero quadragesimo secundo. Et sic Dominus Nolter Jesus Christus quando de tributo pendendo à Phariseis tentatus fuit, non solum interrogavit eos de imagine Caesaris, sed etiam de inscriptione nominis. Sic scribit Sanctus Mathaeus in Sacrosancto Evangelio, capite vigesimo secundo, vers. vigesimo, ibi: *cujus est imago haec, & subscriptio?* idem dicitur à Sancto Marco capite duodecimo, vers. decimo sexto, ibi: *cujus est imago haec & inscriptio?* & pariter à Divo Luca capite decimo, vers. vigesimo quarto, 45 ibi: *cujus habet imaginem & inscriptionem?* Sicque aequaliter haec duo attendenda sunt; quia, ut dixi, sigillum absque inscriptione nihil operatur. Neque minus per stigmata auctoritatis impartitur, cum publicum signum sit, ut ait Imperator in leg. stigmata 3. Codice de fabricens. libro undecimo. Pluribus Hopingius de jure insign. capite decimo, Rub. ad annul. signator. numero 136. cum sequentibus, & de jur. sigil. capite octavo, numero quadragesimo secundo, quibus addendus Petrus Gregorius libro sexto, de repub. capite decimo sexto, numero primo, cum sequentibus. Ad libitum enim Principum nummos cudere jubentium haec sunt, ut resultat ex nostris legibus. Nam Reges Catholici Ferdinandus, & Elisabeth in dict. leg. prima, titulo 21. libro quinto, recopil. suas imagines in aureis nummis insculpi mandarunt. Et Dominus Rex Philippus secundus in aureis ejusdem ponderis, & qualitatis sua stigmata apponi jussit, ut habetur in dict. leg. decima tertia, in declarat. ejus titul. & tandem Dominus 47 Philippus quartus, neque in aureis, neque in argenteis suam imaginem posuit, sed in aereis juxta pragmaticam anni 1660. Sed cum in omnibus apponatur circumscriptio nominis Regis, ex laesione cujuscumque monetæ, laesa remanet ejus majestas, quia adhuc inter privatos injuria fit ei, cui stigmata

mata usurpantur, vel contemnuntur argumento Textus in l. minime, Codice de Episcopalis. Aud. capite dilecta de excess. prelatorum, l. fadaos quosdam, Codice de Judais, Paril. consil. vigesimo nono, numero octavo, Matienço in lege sexta, glossa secunda numero tertio, libro quinto recopilat. optimè ad rem Antonius Gomez in lege quadragesima quinta, Tauri numero septuagesimo septimo, Augustinus Barbosa in dicto capite delicta, numero quarto, Avendaño de exegu. mand. parte prima, capite decimo nono, numero trigesimo secundo, Farinacius quaestione centesima quinquagesima, numero sexagesimo quinto, Hopingius dict. capite quarto, numero 154.

49 Et licet verum sit quod de isto reo non probabatur peccasse in falsa moneta quoad materiam, negari non poterat quod peccavit quoad formam, ita ut ratione ejus totum crimen ipse peccerit causativè: & nostris legibus, sicut de jure communi cujuscumque materia moneta falsa fiat, poena ignis debetur, ut probat Textus in dicta lege prima & secunda, Codice de fals. moneta cum aliis adductis controvers. praeced. numero quarto, & in dict. lege. nona, titulo septimo, part. septima. Ubi Dominus Gregorius Lopez & ceteri Hispani Doctores clarissime docent. Neque Doctrina Benedicti Carpzovii admitenda est, quia nullius Doctoris auctoritate fulcitur, sed statuario jure Saxonum tantum comprobatur. Et adhuc si bene perpendatis, loquitur in terminis Principis inferioris, qui non habet jura cudendi monetam, & cudit proprio nomine, ex materia legitima, & iusto pondere constantem.

51 Quod est valde diversum; nam loquimur de subdito Regis qui ejus stigmata, & nomen usurpat, pretio corruptus ut alius nummos argenteos ex materia adulterina faciat, quod crimen includit omnem materiam, & dolum habentem ad incurendam poenam ordinariam, ut ex dictis patet.

52 Ex his omnibus condemnandum poena mortis nemo ex iudicibus dubitabat; & plures ad poenam ignis. Sed cum minor esset decem & septem annis, poena extraordinaria ex concordi voto fuit plexus per ea quae dixi controversia octava, numero vigesima.

D. D. Laur. Matth. De Re Crim. P. 1.

simo primo, cum sequentibus, sententia ejusdem diei 2. Junii anni 1660.



CONTROVERSIA XLVI.

De expendente Monetam, adulterinam.

SUMMARIUM.

- 1 Facti species narratur.
- 2 Expendens scienter falsam monetam, falsi poena tenetur.
- 3 Expendens monetam aere, & argenteo confectam, tamquam argenteam, falsum committit, & falso utitur.
- 4 Textus in leg. lege Cornelia 9. Paragraph. eadem lege, Digest. ad leg. Cornel. de fals. expenditur.
- 5 Bartoli opinio mitior, & communior, intelligenda de simplice expendente.
- 6 Quae non procedit in expendente, conficio, & particeps falsitatis.
- 7 Concubinae non possunt dicere coactae fecisse ea, quae à concubinariis ipsis jubentur.
- 8 Concubinae non sunt in potestate concubinariorum, neque eis ullo jure subsumt.
- 9 Uxores à maritis in vitis discedere non possunt, neque eorum delicta obviare.
- 10 Concubinae in vitis contubernialibus possunt ab eis discedere.
- 11 Voluntas, & propositum maleficia discernunt.
- 12 Bartoli opinio jure Digestorum probabilis, sed jure Codicis erronea.